



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

8 De termino prædicamentalis relationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

actione, nam si Petrus & Paulus (qui nunc sunt pater & filius) essent immediate creati à Deo cum omnibus proprietatibus absolutis, quas nunc habent, si inter eos non intervenisset actio generationis, & processions unus ab alio, non fuisset inter eos exorta relatio, nec de potentia absoluta fieri posset ut oriretur: tunc vero adiuncta sola illa conditione, statim resultat relatio: ergo est illa conditio simpliciter necessaria. Et tamen non est fundamentum, per hanc vocem intelligendo illud in quo, & à quo relatio proxime habet entitatem suam. Vnde factum est, ut talis conditio, ratio fundandi appellata sit, vel quia non est aliud speciale nomen: quo nominetur, præter illud commune, quo vocatur conditio necessaria, vel quia illa conditio est quasi ultimus, seu proxime requisita, ut relatio pullulet. Re tamen vera non tam proprie dicitur ratio fundandi, quam conditio necessaria, quia ratio alicuius rei proprie dicitur, quæ habet aliquem influxum per se in talem rem, præsertim formalem, aut effectuum secundum rem, vel rationem: hæc vero conditio in presenti non habet talem influxum in relationem paternitatis, cum sit extra ipsum patrem: & nullam habeat in illum propriam causalitatem: est ergo magis proprie necessaria conditio.

XIII. Non est autem hoc generale in omnibus relationibus, ut requirant similes conditiones, ex natura rei distinctas à fundamentis, & terminis actu existentibus, ut consurgant. Nam inter duo alba statim consurgit relatio similitudinis, à quocunque facta sint, & ubicunque existant, aut quæcunque alias conditiones habeant: & idem est de relatione scientiæ ad scibile, & similibus. Et ita huiusmodi ratio fundandi, etiam si hac voce illam conditionem appellemus, non est necessaria in omnibus relationibus. Omnibus autem fundamentis relationis commune est, ut habeant aliquam naturalem proprietatem, vel conditionem, ratione cuius apta sit ad fundandam relationem: quæ proprietates respectu talis fundamenti potest appellari ratio fundandi relationem. Ut verbi gratia, scientiæ creatæ naturale est, ut mensurabilis ab obiecto scibile, ratione cuius potest fundare relationem ad illud. Similiter tali formæ, verbi gratia, albedini naturale est, ut habeat talem unitatem formalem, qualem habere etiam potest alia forma eiusdem speciei. hæc ergo est ratio, ob quam talis forma potest fundare relationem similitudinis. Atque hoc modo etiam in relatione paternitatis, vel cuiuslibet agentis creati, præter actionem ipsam, consideranda necessario est aliqua ratio fundandi per se conveniens ipsi fundamento. Ponamus enim tale fundamentum esse ipsum principium efficiendi, siue proximum, siue principale. in hoc ipso principio aliqua ratio consideranda est, ob quam esse possit relationis fundamentum, nam in divina actione ad extra, quam vis in Deo sit verum principium efficiendi, non tamen resultat in ipso Deo relatio realis, quia illud principium non est aptum fundamentum illius relationis, ut infra dicemus. Ergo, si principium efficiens creatum est aptum fundamentum, oportet ut in eo assignetur aliqua ratio intrinseca connaturalis, ob quam est natura sua aptum fundamentum relationis realis, ut verbi gratia, quod est principium per se ordinatum ad actionem, vel aliquid huiusmodi, de quo infra videbimus.

XIV. Sicigitur, quantum ad rem ipsam, constat in omni fundamento intervenire rationem fundandi per se & intrinsecam. Constat item hæc duo physice & in re ipsa non esse distincta, metaphysice vero seu ratione distingui ad explicandas rerum rationes: & hoc modo posse etiam diversis vocibus denominari. Nos vero ne videamur res multiplicare, rationes has fundandi in fundamentis includimus. Vnde quidam ita loquuntur ut dicant, fundamentum, formaliter loquendo, non esse, verbi gratia, qualitatem absolu-

te, sed qualitatem ut vnam. Vide Hispanens, in 1. dist. 13. q. 1. art. 3. notab. 4. At vero conditionem necessariam (quando intercedit) hoc communi nomine appellamus. Iam vero occurrebat hic quaestio de distinctione fundamentorum, aut rationum fundandi ab Aristotele tradita in 5. Metaph. c. 15. tamen quia proximiorum sermonem postulat, de illa instituimus propriam sectionem, post sequentem.

SECTIO VIII.

De termino prædicamentalis relationis.



Icendum in primis est, ad relationem prædicamentalem necessarium esse actum terminum realem. Hæc assertio in communi sumpta fere est communis omnium, & facile colligi potest ex intrinseca ratione relationis. Cum enim essentia eius sit ad aliud se habere secundum suum esse essentiale, in hoc ipso includitur terminus: cumque relatio hæc prædicamentalis, & realis sit, terminus eius realem esse necesse est. Sed in explicandis conditionibus requisitis ex parte termini ad esse relationis, & quomodo huiusmodi terminus ad essentiam relationis concurrat, multa tractari solent, quæ à nobis breviter indicanda, & expedienda sunt.

An requiratur terminus actu existens.

PRIMUM est, an terminus relationis realis prædicamentalis requiratur terminum realem actu existentem. Et ratio difficultatis est, quia ordo realis transcendentalis potest esse ad rem, quæ non existit, imò & ad id, quod non est verum ens, sed ens rationis, ut supra dictum est: quid ergo habet relatio prædicamentalis, cur non possit similem terminum respicere? Et confirmatur ac declaratur, nam scientia perinde respicit scibile, quando illud non existit, ac quando existit, quia scientia abstrahit à singularibus, & ab existentia. Item productum refertur ad producibile, teste Aristot. 5. Metaph. producibile autem, ut sic non requirit existentiam. Item imago, & phantasma, & similia, quæ repræsentant rem existentem, & non existentem, & albedo existens, tam est similis in essentia alteri albedini possibili, sicut existenti, nam eandem convenientiam habet cum illa, in natura & essentia. Similiter effectus causæ finalis æque pendet à fine existente, & non existente. Ratio denique à priori esse potest, quia nec ex parte relationis, nec ex parte termini, seu ex munere terminandi videtur necessaria hæc actualis existentia termini. Primum patet, quia relatio habet entitatem suam à fundamento: ergo ex parte eius illud sufficit ad existentiam relationis. Secundum patet, quia terminare actum, solum dicit denominationem extrinsecam ex habitudine alterius ad rem, quæ terminare dicitur: ergo talis denominatio potest cadere in rem non existentem, quantum est ex parte eius.

Atque hanc opinionem sequitur Gregor. in 1. dist. 28. quæst. 23. Qui etiam addit, etiam è conuerso, non ens posse referri realiter ad ens: putat enim, relationi realia semper esse mutua: quod fundamentum falsum est, ut infra videbimus. Et ipsum consequens quod insert, valde est improbabile, qui enim intelligi potest, ut quod mihi est actus referatur relatione reali? aut quomodo potest accidens existere sine subiecto reali. Denique nihil est reale actu, nisi actu existat: ergo nec relatio potest esse realis actu, nisi sit rei actu existentis, quia non potest aliter existere, nisi etiam subsistat. Itaque de correlative reali, quod possit esse non ens, improbabile est illa opinio, ut patet etiam ex duabus sectionibus præcedentibus: de termino vero terminus improbabilis est.

Terminus actus existentem requiri
ostenditur.

IV. Nihilominus dicendum est, ad relationem predicamentalem necessarium esse terminum realem & realiter existentem. Hæc est sententia communis tam Philosophorum, & interpretum Aristotelis in predicamentis, cap. Ad aliquid. & in 5. Metaphys. cap. 15. quam Theologorum, ut patet ex Diuo Thoma 1. part. quæst. 13. artic. 7. ubi ait, relationes omnes, quæ sunt inter ens & non ens, esse rationis, quia eas format ratio apprehendens non est tanquam quoddam extremum. Idem quæst. 28. art. 1. ad 2. & 2. contra Gent. cap. 12. ratione 3. & quæst. 3. de potentia art. 3. ad 5. Vbi adducit Auicennam 3. suæ Metaphys. cap. ult. Et idem sentiunt omnes Thomistæ. Caiet. & Ferrar. citatis locis: Soncin. 5. Metaph. q. 27. Capreol. in 1. d. 7. q. 1. & latius d. 13. & 20. Scot. & alii in 1. d. 13. & Mairon. d. 29. q. 6. & 8. Qui tamen quadam distinctione vititur, ait enim relationem fundamentalem posse esse ad non ens, non vero relationem formalem. Per hanc vero posteriorem intelligit relationem predicamentalem, atque ita ipse se explicat, in quo aperte consentit assertioni positæ. Quid vero per relationem fundamentalem intelligat, non declarat: si autem (ut apparet) respectum aliquem transcendentalem intelligit mihi non displicet eius sententia. Iam enim supra ostendimus, relationes reales transcendentales esse posse ad terminos non solum non existentes, verum etiam qui non sint entia realia secundum essentiam. Et hoc etiam satis probant argumenta Gregorii, nam potentia, quæ per se primo ordinata est ad actum sine dubio habet transcendentalem ordinem ad illum, etiam possibilem & nondum existentem. Scientia etiam habet relationem ad seibile, quod, per se loquendo, non solum non necessario existit, verum etiam est quid vniuersale abstrahens a singularibus, quod eo modo existere non potest.

V. Quapropter non est facile rationes conuincentes adducere, quæ assertionem positam probent in relationibus predicamentibus nam quæ communiter afferri solent: videntur a quo procedere de transcendentibus, ut videlicet, quod nullum ens reale potest esse ordinatum ad non ens. Item quia alias etiam posset esse ordinatum ad ens rationis, quod repugnat, cum ens rationis pendeat ex fictione intellectus. Item quia relatio est quasi nexus inter extrema: ergo non potest esse realis, nisi inter extrema realia. Quæ rationes, & similes, si efficaces sunt, locum habent in respectibus transcendentibus. Constat autem in eis non habere vim, quia non repugnat ens reale habere transcendentalem ordinem ad non ens actu. Primum, quia potentia potest habere ordinem ad ens possibile, quamuis non respiciat illud secundum solam possibilitatem eius, sed in ordine ad actum, ita tamen ut habitudo ipsa potentia prior sit & independens ab actuali existentia actus vel obiecti. Similiter non ens, quatenus cogitari potest, terminare etiam potest habitudinem transcendentalem cogitationis. Vel scientia ad ipsum: at ipsa non ens, quamuis ex se videatur ineptum, ut sit terminus realis habitudinis, tamen quatenus aliqua actio circa illum exerceri potest etiam actio ipsa, vel habitus aut potentia, quæ sunt principia ordinata ad illam actionem possunt dicere habitudinem transcendentalem ad rem, quæ non est. Atque ob similem rationem potest actus aliquis intellectus respectum transcendentalem dicere ad aliquod ens rationis, quia nimirum illud potest esse sufficiens obiectum talis actus. Et ideo ad huiusmodi habitudinem non solum non obstat, quod ens rationis sit quid fictum ab intellectu: verum etiam in hoc ipso fundatur illa transcendentis habitudo.

VI. Recte vero probatur illa ratione nullas alias res posse habere transcendentales habitudines ad entia
Tom. II. Metaphys.

rationis, præter ipsosmet actus mentis, quibus ipsa entia rationis cogitantur aut finguntur, sub quibus comprehendo actus aliquos imaginationis: quatenus per illos fingi possunt & representari entia imaginaria & impossibilia. Et idem erit de actibus voluntatis, quatenus versari possunt circa entia rationis, aut si vera est opinio Scoti, quod per eos fieri possunt entia rationis. Denique id etiam suo modo extendi potest ad habitus proportionatos his actibus, quatenus dicunt per se ordinem ad eadem obiecta. In his ergo omnibus reperitur hæc habitudo, propter transcendentalem ordinem ad obiectum: alia vero res, quæ non possunt habere pro obiectis entia rationis, non possunt habere habitudinem realem & transcendentalem ad illa. Quia ut supra ostendimus, habitudo transcendentis semper est secundum aliquod munus reale, quod actiue vel passiue ad aliquod genus causæ reducatur: circa ens autem rationis nullum munus reale exerceri potest, nisi inquantum sumitur in ratione obiecti. Denique relatio predicamentalis non est proprie nexus aut vnio, sed solum velut tendentia quædam, quæ potest solum extrinsece terminari ad aliud: & ideo ex hac parte non repugnat esse entis ad non ens. Sicut ergo hæ rationes soluuntur in relationibus transcendentibus ita videntur solui posse in predicamentibus.

Quærenda est ergo aliqua propria ratio, quæ specialiter procedat de relationibus predicamentibus. Et primo quidem argumentari possumus ex principiis receptis de his relationibus, nimirum quod relatio & terminus sunt simul tempore, & quod ablato correlatiuo seu termino aufertur relatio, & quod posito termino, si iam supponitur fundamentum, confurgit relatio: hæc enim omnia sumpta sunt ex Aristotele & communi sententia, omnia vero illa supponunt realem existentiam termini, nam includunt coexistentiam extremorum, quæ supponit vtriusque existentiam. Ratio vero propria sumenda est ex iis, quæ superius dicta sunt de esse, & essentia huius relationis, nimirum quod consistit in puro respectu neque aliud munus habet in natura, & ideo non est per se intenta, sed mere resultans: tanquam quid accidens rebus præter omne id quod ex se est, & ex intentione naturæ illis conuenit. Ex natura enim huius relationis sic explicata plane colligitur, illam ut sic non esse, nisi supponatur fundamentum & termini coexistentia, ex qua ipsa resultat: tum quia non habet rerum naturalium modum productionis tum etiam quia solum hac ratione potest habere rationem accidentis, nam alii respectus qui possunt esse ad non entia, sunt essentialiales, & pertinent ad predicamenta earum rerum, quarum sunt essentialiales differentie. Quæ ratio habet aliquam efficaciam, etiam in eorum sententia, qui putant hanc relationem esse aliquem modum in re distinctum à fundamento & termino: hi enim facili sibi accommodant hunc discursum factum, solum illis difficile est, rationem talis entitatis aut modi distincti reddere. In nostra vero sententia magis vrgeri potest, quia si relatio predicamentalis, in re non est aliud, nisi ipsummet fundamentum, ut accidentaliter dans denominationem relatiuam: ergo non potest in re ipsa dare illam, nisi coexistente termino: nam omnis alia denominatio, aut erit omnino absoluta & essentialis, & consequenter ad summum erit respectiua transcendentiter, aut non erit denominatio ex solis ipsis rebus sumpta, sed ex comparatione nostræ rationis. Ob hanc ergo causam ad relationem predicamentalem necessarius semper est terminus realis, & realiter existens.

Rationes contraria sententia dissoluntur.

A Argumenta vero opposita sententiæ, si attente considerentur, solum procedunt de respectu transcendentali: iam vero est sufficienter declarata
Xx 2

VII.
Ratio offer
rentem con
uincens.

VIII.

diffe-

differentia inter illum, & relationem predicamentalem. Vnde ad ultimam rationem responderetur, terminum realem requiri ad relationem predicamentalem ex natura & modo talis relationis, quæ solum consistit in puro respectu orto ex coexistentia extremorum. Vnde licet verum sit, ipsam actualem terminationem nihil ponere in termino, tamen necessario supponet entitatem in illo, accommodatam ut ex positione eius cum termino possit insurgere relatio, & ut ipsa relatio habeat quali obiectum in quod possit respicere. Vnde sicut de fundamento diximus, posse in eo secundum rationem, distinguere rem, quæ fundat relationem & rationem seu aptitudinem fundandi, ita ex parte termini distinguere potest res, seu formam termini & ratio terminandi, quæ est in tali forma. Iam vero sese hoc loco insinuabat questio, qualis nam esse debet hæc forma & ratio terminandi, & præsertim an sit absoluta vel respectiva. Sed quia hæc questio prolixior est, & multa supponit tractanda se-
ntione sequenti, ideo post illam disputabitur.

Quomodo terminus sit de essentia relationis, ex dictis educitur.

IX.
Aliquorum opinio.

EX prædicta vero resolutione, & eius ratione intelligi potest primo huiusmodi terminum realem, esse aliquo modo de essentia relationis, quam in hoc sit nonnulla diversitas inter auctores, quæ magis est in modo loquendi, quàm in re. Quidam enim absolute negant terminum esse de essentia relationis, ut Franciscus Maironis in 1. dist. 19 q. 5. quod ex parte etiam sentit Soncin. 5. Metaphys. quest. 33. & Caiet. in prædicabil. c. de specie. Et ratio esse potest, quia terminus est omnino extra ipsam relationem, & res ab illa condistincta: ergo non potest esse de essentia eius, nam quod est de essentia, est omnino intrinsecum, & idem cum re, de cuius essentia existit. alii vero dicunt terminum esse de essentia relationis. Quæ est communis Peripateticorum sententia, ut supra Caietanus refert, & Niphus lib. 5. Metaph. Disputat. 16. Et ratio est, quia totum esse relationis est esse ad terminum: ergo terminus est de essentia relationis.

Aliorum sententia.

X.
Sententia auctoris.

Veruntamen vix potest esse dissensio in re, ut dixi, nam terminus non est intrinseca pars, nec genus aut differentia intrinseca relationis: vnde non potest esse de essentia eius in dicto sensu: & in hoc omnes conveniunt. Certum deinde est relationem predicamentalem ut talis est, non esse nisi respiciendo & tendendo ad terminum, & in hoc consistere essentiam eius. Vnde sub ea ratione dici potest includere aliquo modo terminum in sua essentia, quia non potest absolui ab illo, neque secundum propriam rationem concipi, quin in tali conceptu terminus includatur. Et hoc sensu locuti sunt omnes antiqui, qui propterea non tam dicunt, terminum esse de essentia, quam esse de conceptu quidditativo relationis, quod etiam admittunt Caietanus & Soncinas.

XI.
Relativum predicamentale negatur nisi per ordinem ad terminum de finiri.

Qui merito inferunt, relationem secundum propriam rationem definiri non posse, quin terminus relationis in definitione ponatur, nam res sicut esse essentialiter, ita definiri debet: sed essentia relationis talis est: ut non possit absolui à termino: ergo nec definitio potest à termino absolui: ergo debet necessario includere in se terminum. Et in hoc non recte sentit Maironis supra, nã videtur dicere posse relationem definiri sine additione termini: in quo etiam ab Scotto dissentit, ut patet ex eodem in primo, distinctione trigesima. Sed est attente observandum semper nos esse locutos de termino relationis, non de correlativum, ut abstrahamus ab illa questione, an ipsum correlativum sit terminus, quam infra tractabimus, & ibi etiam videbimus an hoc possit etiam extendi ad correlativum ut sic, etiam si non sit formalis termi-

nus & ibi etiam solvemus difficultatem hic occurrentem: an terminus sit prius cognitione, quam relatione, quomodo correlativum possint esse simul cognitione & definitione non committendo circulum.

Ultimo observandum est, doctrinam hanc aliquo modo generalem esse ad respectus etiam transcendentales, nã etiam illi, & forma vel entitates de quarum essentia sunt, non possunt adæquate & essentialiter definiri absque additione illius rei, quam respiciunt, quæ sub ea ratione terminus dici potest. Differentia vero est, quod relatio predicamentalis ex peculiari & propria ratione sua requirit terminum actu existentem, tum ut ex illo in suo genere resultet tum ut illum respiciat sub præcisa ratione termini: relatio vero transcendentalis nec resultat ex termino, proprie loquendo, nimirum respicit sub præcisa ratione termini, sed adiuncta semper aliqua alia ratione obiecti: aut causæ vel alterius similis. Atque ita est aliquo modo magis intrinseca & formalis habitudine ad terminum, præsertim existentem in relatione predicamentali, quam in respectu transcendentali.

Etiam de potentia absoluta non posse relationem manere sine termino.

Secundo resolvitur questio, an tanta sit dependentia relationis ab existentia sui termini, ut non solum ex natura rei illam requirat, verum etiam de potentia absoluta non possit conservari sine illa. Videtur enim hoc creditum difficile, nam cum illæ sint res distinctæ ut supponimus, & fundamentum non componat intrinsece relationem, neque habet realem influxum in illam, nulla reddi potest sufficiens ratio, ob quam non possit Deus sine termino relationem conservare. Nihilominus tamen dicendum est, non posse per vim potentiam conservari relationem predicamentalem ut sic sine suo actuali termino. Ita docent fere omnes scriptores. Ratio autem est quia in ipso effectu formali relationis involuitur aliquo modo terminus realis, & actualis. Obiectum est autem supra, non posse relationem conservari in rerum natura, quin actu exerceat suum effectum formalem, ergo non potest relatio actu conservari sine suo termino actuali. Patet consequentia, quia non potest effectus formalis conservari sine omnibus per se, & essentialiter requisitis ad illum. Maior vero patet, quia formalis effectus relationis est actu referre ad terminum: in hoc autem effectu includitur ipse terminus. Sicut motus aut actu non potest esse sine termino proprio, eo quod sit actualis vis ad illum.

Ergo hoc longe facilius ad intelligendum in nostra sententia, scilicet quod relatio non sit res, aut modus realis distinctus à fundamento, & ei additus, sed sit ipsa meritas fundamenti, ut sic denominans subiectum. Nam cum illa denominatio sit pure respectiva, tantum consistit in quadam habitudine orta ex coexistentia termini, ideo mirum non est, quod talis entitas fundamenti conferre nullo modo possit denominationem illam, nisi posita coexistentia termini. Et ita facile solvitur ratio dubitandi in contrarium. Nulla enim hic interuenit entitas, quam Deus non possit conservare sine alia realiter distincta, nam totam entitatem fundamenti potest conservare sine termino, non tamen potest conservare illam entitatem sub tali ratione & denominatione, quia secundum illam involuit ipsum terminum: imo in re ipsa nihil distinctum addit, præter coexistentiam termini.